
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Misellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miſcellaneorum

DECADIS III.

EXERCITATIO X. & ultima.

De

AMICITIA

FRUCTU USUQUE VIRTUTUM

primario.

Practico-Philoſophica.

Pro diſputationis exercitio ad ſententiarum collationem propoſita

In Gymnaſio Gedanenſi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Profeſſore Publico.

Reſpondentis partes expediente

ANDREA SCHEFFLERO,

Inſulo-Mariano Boruſſo.

Ad diem 14. Maij. S. N.

In Acröaterio Philoſophico.

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI, Typographo GEORGIO RHETIO exſcripta, ANNO 1638.

Miscellaneorum

Decadis III. Exercitatio X. & ultima.

De usu virtutum primario, Amicitiâ.

I.

ROmanos *in ore dictum festivi cujusdam hominis frequenter habuisse* Plutarchus præf. l. 7. symp. *aucthor est, qui cum solus cœnasset, non se hodiè cœnasse, sed tantùm comedisse dicere solitus fuerit, cùm cœnam q.* κοινὴν *dictam velint, quòd communis aliquot convivarum victus esse debeat. Antiquitùs enim seorsim soliti sunt prandere Romani: cœnare cum amicis, ut Lamprias apud eundem* 8. sympos. q. 6. *testatur. In vitâ humanâ cum solus & absq; hominum consortio vitam quis traducat, non vixisse, sed tantùm fuisse jure dici possit, cum hominem velut* ὁμῶς *agentem, & alys conviventem per allusionem dictum esse jure suo consensum invenerit. Homines rugis annisq; obsitos, per somnium & incuriam sine labore, opere, virtute, vitam decurrentes non multum vixisse, sed diu fuisse* Stoicus *ait* d. brev: vit: c.8. *Ac velut, quem sæva tempestas à portu exceptum huc illucq; projecit, & viribus ventorum e diverso furentium per eadem spatia in ingratum orbem circumtulit, non multum navigasse a. profecisse, sed multum jactatum fuisse dixerimus: Ita nemo solitarium senemq;* μισάνθρωπον *diu vixisse, sed moratum esse dicet, cum non annis, sed actibus & opere vitam æstimandam esse verè credatur. Ille multum vixis-*

vixisse censebitur, cui vita, quamdiu fuit, multum patuit: nec contentus sibi vixisse aliorum gavisus est consortio, quibus benè faceret, & meliores redderet: a. conversatione eorum melior redditus secederet. Hoc in Amicitiâ *fiet, Verissimo Virtutum moraliũ exercitio, & aptissimo humanæ societatis vinculo: tamq; necessario, ut non aquâ, igne, a. aëre frequentiùs in vitâ uti contingat, quàm amicitiâ: Et solem è rebus humanis tollere moliantur, qui è vitâ ablatam velint amicitiã, dicente* Cicerone in Læl. §. 22. & 47. *In hac cõmodissimus Virtutum usus exercetur, in prosperis gaudium, adversis solatium, in valetudine consortium, morbis remedium, ab hac expectabis. Quare post moralium virtutum decursum ultimã decadi huic manum imponat Amicitia.*

2. Præcognitionis *loco duo de Amicitiâ in Ethicis quærenda sunt.* 1. An salvâ caritate Christianâ Christianus amicitiam cum alio colere possit? *Dubium hoc esse ex rationib. oppositis patebit. Hic rationes assignandæ, quib. affirmativa ut vera confirmetur. Probatur ea 1.* Authoritate *Scripturæ. Si Scriptura amicos nostros intimiore affectu complectẽdos esse jubet, quàm eos, quos non novimus, a. pro amicis nunquam habuimus, & arguit eos, qui amicitias contractas leviter dissolvunt, sequitur, salvâ caritate amicos haberi & præ aliis diligi posse. Sed prius facit Scriptura.* Prov. 17. v. 17. c. 18. v. 24. c. 27. v. 10. Sirac. 6. v. 1. c. 7. v. 20. c. 9. v. 14. c. 22. v. 28. 29. c. 27. v. 18. 19. seq. c. 37. v. 6. *E. & posterius licet.* 2. Exemplis *piorum in Scripturâ, qui firmissimam amicitiam coluerunt. Ut David & Ionathan.* 1. Sam. 18. v. 1. *Abraham & Pharao.* Gen. 12. v. 16. *Abimelech.* Genes. 20. v. 14. c. 21. v. 23. seq. *Isaac & Abimelech,* cap. 26. v. 28. 3. Ratione *& communi naturæ consensu. Natura & gentium consensus amicitiæ jus introducit & servat, ut experientia testatur. Sed naturæ & gentium consensus velut tacita DEI vox est, cui nullus*

corda-

cordatus refragatur. E. & amicitias colere licebit. Dices 1. *Scriptura omnes proximos ut nos ipsos diligere jubet.* Math. 22. v. 39. Rom. 13. v. 9. *E. major caritas in amicos ferri nequit, & consequenter exulat amicitia ejusq; jus, quod majorem amici, quàm alterius, requirit amorem. R. Om. proximus ut nos ipse diligendus, amore publico & communi, sincerè & sine fuco: H. e. Ita comparati esse debemus, ut omnibus benefacere, quantũ licet, velimus, etiam hostibus, inimicis, injustè agentibus. Sed non omnes pari amore privato & singulari amandi, qualis est amor amicitiæ. Sic n. Deus ipse amandi gradus distinxit. Sic plus amanda uxor, quàm parentes.* Gen. 2. v. 24. Math. 19 v. 5. Ephes. 5. v. 28. seq. *plus domestici, quàm extranei,* 1. Tim. 5. v. 8. *plus fidei socij, quàm infideles,* Gal. 6. v. 10. *Sic Christus plus dilexit Ioannẽ quàm cæteros.* Joh. 13. v. 23. c. 21. v. 20. *Ita & nos privatim plus amicos diligere possumus, quàm alios.* 2. Scriptura *jubet omnibus, etiam inimicis, tanta præstari officia, ut majora nequeamus.* Matt. 5. v. 24. Prov. 25. v. 21. Rom. 12. v. 20. *E. non majora præstari debent amicis, & consequenter vacillat jus amicitiæ. R. Omnibus, etiã hostibus, benefacere jubet Scriptura: æquali affectu, benevolentiâ & propensione omnibus benefacere non jubet. Inimicis benefacimus: amicos magis commendatos habemus, & intimiore affectu prosequimur. Sic Ioseph omnibus fratribus humanitatis officia exhibebat: sed Benjamino majora.* Gen. 43. v. 34.

3. 2. *Hic quærendum:* Qua ratione in Ethicis de amicitiâ agatur, & ubi id fieri debeat. Qvidã *ex Ethicis omittũt eam, ut* Gutkius, Eustachius S. Pauli, Conimbricenses, Baconis, Plateanus, Goclenius, Waleus, Ch. Mathias, *alijq;*. Quidam *sub affabilitate de eâ præcipiunt, ut* Lesius l. 2. d. 1. & J. c. 47. d. 7. *Alij distinctè in Ethicis eam proponunt, ut* Arist. 8. Nicom. Heilandus & Casus in c. l. Piccolom. gr. 7, Ith. Mauric. l. 2. c. 27. Rigerus l. 2. Et. c. 9. 10. seq. Zapfius p.

us p.166. Eth. Timpl. l. 1. Eth. c. 6. q. 10. seq. Scultetus l. 1. Eth. c. 27. Danæus l. 3. Eth. Chr. c. 3. Hornei. l. 4. Eth. c. 6. Jonstonus l. 2. Eth. c. 3. §. 9. & l. 3. c. 3. §. 6. Velsteni⁹ dec. 10. Eth. Keckerm. l. 7. Eth. c. 6. Bartholin. p. 1. Eth. c. 5. Donaldson. l. 2. Eth. c. 8. aliique. *Et rectiùs hoc. Pro quo notetur* 1. Virtus *in Ethicâ completâ completè est tradenda, secundùm omnes suos modos, effectus, attributa, & consequentia. Secus tractatio erit manca & semiplena. Sed inter effecta & consequentia imprimis eminet amicitia, quæ est cōmodissimus & præcipuus virtutū usus & applicatio. E. & hæc specialiter in Ethicis est proponenda.* Deinde *amicitia ad finē moralē, beatitudinem civilem, facit, non quidem ut medium, sed & usus & exercitatio medij moralis: nec activè accepta, quatenus quis amicum habet, aut eo opus habet: sed passivè, quatenus habetur, vel ab eo, qui felicitatē practicam possidet, haberi intenditur. Sic ad finem moralem pertinet. Activè magis ad subjectum felicitatis moralis, Virum felicem. Ita ergò eum, qui perfectè beatus moraliter esse velit, inter cætera* & Amicis *instructum esse oportet, ut in prosperâ fortunâ habeat, cum quibus felicitatem suam cōmunicet, quib9 beneficentiam exhibeat, quib. cum gaudeat, quorū ope præclariùs & splendidiùs omnia agat, in quos partē invidiæ, quæ felicē statū validè comitatur, & incommoda molitur, conijciat, ut pro viribus eam amoliri queant: Et erga quos actiones virtutis cōmodiùs exerat. Summum n. bonum quia in actione virtutis consistit, actio hæc maximè objectū respicit, cui illa exhibeatur: Quod convenientissimū* verus amicus erit: in adversâ, *à quibus solatia, consilia, & auxilia exposcere queat. Sed quod ad finem moralē facit omninò in Ethicis est proponendum.* Conf. d. 1. t. 24. 2. Post *virtutum doctrinam Amicitia proponitur, partim, quia est virtutum effectum quoddam, & virtutes sunt Causæ. Causæ vero in ordinatâ & distinctâ rei tractatione ante effecta proponi*

solent

solent, quia ad horum naturam distinctè cognoscendam faciunt: partim quia est usus & velut exercitatio Virtutum. Usus a. rei sequitur rem ipsam; & prius natura ipsa rei est noscenda, quàm de applicatione & praxi ejus doceas. Sic in Georgicis primùm natura terræ explicatur, quàm de colendâ serendaq; eâ disseritur. Et in Logicis primùm natura Logicæ cum notionibus suis proponitur, quàm pædia & praxis dextrè applicandi præcepta Logica ad materias ostenditur: partim, quia est flos & cultus quidam virtutum: in Amicitiâ n. morali ex virtute natâ virtutes florent & vigent, ac ab amico uno in alterum ultrò citroq; commeant; nec amicus amico violatâ honestate perdurare potest, ut in Lælio §. 40. Cicero *docet. Cultus a. & efflorescentia rei sequitur rem ipsam, non antecedit.*

4. Præmisso, *An in Ethicis verè Amicitia in considerationem veniat, ac ubi commodissimè discutiatur, jam ipsius Natura nominaliter & realiter perlustranda erit.* Nominaliter 1. Homonymice. *Amicitia vox sumitur* vel *Theologicè,* vel *Philologicè,* vel *Philosophicè.* Theologicè *notat* vel *conjunctionem hominis cum Deo & Christo spiritualem. Ita Lazarus amicus Christi.* Ioh. 11. v. 11. *Apostoli Christi amici,* Luc. 12. v. 4. Ioh. 15. v. 14. 15. *Abraham amicus Dei,* Esa. 41. v. 8. Iudit 8. v. 22. Iac. 2. v. 23. *Est n. inter DEUM & homines amicitia ratione communionis bonorum naturalium, & maximè futuræ gloriæ, quâ in cœlo DEo erimus similes. Sic* Seneca: Inter Viros bonos & DEum amicitia est, conciliante virtute, d. prov: c. 1. *Sed hæc amicitia non æqualitatis, sed excellentiæ & proportionis est, de quâ disputantem* V. Becanum p. 2. T. 2. Th. sch. c. 18. q. 3. Vel *cujusvis proximi designationem, ita amicus dicitur quicunq; cum quo rei quidquam nobis intercedit.* Matt. 20. v. 13. c. 22. v. 12. vel *auxilii acquisitionem, & amici auxiliatores notant, ut cum in-*

justo Mammonâ amicos parare jubemur, Luc. 16. v. 9. *i. e. auxiliatores: Vel obsequium conjugale, quod Apostolus* εὔνοιαν *vocat. Luth.* freundschafft *reddidit.* 1. Cor. 7. v. 3. Philologicè *notat interdum gratiam & placentiam rei, quomodo nec Dîs, nec mihi amicum est,* Horat. l. 2. od. 17. *pro grato ac placito dixit, loquendi genere apto quidẽ & eleganti, sed apud Latinos non valdè usitato. Apud Græcos* φίλον μακάρεσσι θεοῖσι, *&* Socrates *apud Platonem* τῷ θεῷ φίλον *dixit, ut pluribus deducit* Muretus l: 2. V. L. c. 12. *Sic amicus pratis humor, & amica frugibus æstas dicitur. Oppositum ejus* inimicus *similiter adjectivè interdum sumitur pro ingrato ac odioso, minusq; placente. Sic* Idem Horat: l. 1. sat. 5. *Namq; pilâ lippis inimicum & ludere crudis, i. e. ingratũ. Interdum omnem rerũ naturaliũ sympathiã & consensionẽ, s: animatæ, s. inanimatæ sint. Sic Magnes ferro, delphinus & lacerta homini, bos sylvestris fico, vitis oleæ, homo cani, amici esse dicuntur. Huic amicitiæ occultæ rerum antipathiæ contrariantur, de quibus in Physicis & Magicis.* Philosophicè *notat mutuam inter homines benevolentiam, quomodo Lælius & Scipio, Cicero & Atticus amici fuisse dicuntur. Hoc modo* vel pro relatione *sumitur, quæ inter amicos est, cum amicus amici amicus sit:* vel *pro fundamento illius relationis proximo, quod est certus amor & benevolentia mutua inter amicos. Hoc significatum hic magis est appositum. Sed sic iterum* dupliciter *sumitur:* Vel generaliter *pro quavis hominum inter se benevolentiâ, sive probi illi sint, s. improbi & scelesti: Ita & inter improbos amicitiam vocamus:* Vel *specialiter pro honestorum tantùm benevolentiâ: sic inter scelestos non amicitiam, sed factionẽ & conjurationem dicimus, ut* C. Memmius *ap.* Salustium in bel. Iugurt. §. 9. *loquitur. Hoc modo iterum* dupliciter *sumitur.* 1. Pro *affectu & habitu benevolentiæ, quomodo & inter absentes amicitia esse dicitur, & si multis locorũ intervallis distent*

distent

distent, ubi actus beneuolentiæ non ita promptè exerceri possunt. Ita & inter illos amicitia dicitur, qui litterarum colloquia inter se miscent, etsi facie nunquam sibi sint cogniti. 2. Pro *mutuo actu beneuolentiæ, Cum præsentes consuetudine inter se gaudent, & amica officia sibi exhibent. Ita maximè hic sumitur, & perfectissima illa amicitia censetur, ubi ipsa humanitatis officia conversantibus inter se exhibentur. Hoc ex opposito amicitiæ patet, vbi ineptos ad amicitiam dicimus senes morosos, homines acerbos, crudeles, misanthropos, eremitas, qui nec consuetudine gaudent, nec beneuolentiæ officia actualia curant.* 2. Etymologicè: *Logicè aliunde non deriuatur, ut vox ultimatè abstracta: Grammaticè ab amando dicitur, quòd amare aliquem bonis quàm maximis affici velle sit; & hoc in amicitiâ campri mis vigeat, dicente Cicerone* 2. d. fini. 3. Synonymicè: *dicitur & amor, beneuolentia, conversatio jucunda, familiaritas, familiaris necessitudo. Scholasticis interdū caritas, quia requisita amicitiæ caritati putāt competere. Conf.* Valent. T. 3. d. 3. q. 1. p. 2. &c. Græcis φίλια, ἔρως, *Hebræis* יְדִידוּת, אַהֲבָה, אֹהֵב, דוד, *&c. Germanis* freundschafft q. frewde schaffet, *ab effectu, quòd jucunditatem & gaudiū in vitâ pariat; vel q.* freundes gemeinschafft, *quòd amici unà esse & vivere cupiant:* Kundschafft/bekandnüß. &c.

5. Realiter *Amicitia* absolutè & respectivè *consideretur. Absolutè in definitione, causis, affectionibus & affectionibus, & divisionibus.*

6. Definitio *sit:* Amicitia est benevolentia vera, nota, aperta & actuosa qvorundā inter se mutuò, honesti & amabilis boni gratiâ exercita.

7. *Genus est* benevolentia. *Benevolentia est propensio voluntatis & amoris in alterum propter se applicata. Dicitur* propensio voluntatis & amoris *i. e, velut quedam exten-*

extensio interni affectus in alterum, quâ benè ei cupitur & facitur. Dicitur propter se applicata, *quia* dupliciter *aliquid amari potest:* vel *per & propter se, cum ipsi rei per se cupitur bonum, & dicitur amor benevolentiæ:* vel *per aliud & propter usum, commodum, aut voluptatem aliquam, inde captam, & vocatur amor concupiscentiæ. Sic amamus vinum ob usum & suavitatem ejus, Nemo tamen vino amicus (propriè & hoc sensu, quo nunc de amicitiâ tractamus; Aliàs* amica luto sus *dicitur, pro luto gaudens, eiq; addicta, Tropicè & tralatitiè.* V. t. 4.) *dicitur.* l. 8. Nicom. c. 2. *Non enim ob se expetitur, sed ob utilitatem suam. Amicitia pro fundamento habet amorem benevolentiæ, non concupiscentiæ. i. e. talē, quo amicus tantùm per & propter se ametur, non ob utilitatē, commoditatē, necessitatē aut voluptatē aliquā, quā inde capiamus. Sic enim magis necessitas aut utilitas amatur, quàm amic⁹ ipse; seu terminus amoris est utilitas, cum in verâ amicitiâ terminꝰ amoris* ipse amic⁹ *esse debeat. Talis enim amor est constans, prudens, & virtuti consentaneus: Cujus propensionē amicitiam diximus. Potest quidem amor benevolentiæ rem amatam referre ad aliud, tanquam ad finem: sic Christianus proximum amat propter Deum, ut ultimum finē: modò & ipsi rei amatæ cupiatur bonum per amorem, ita & res amata terminus amoris erit. Amor ex utilitate & voluptate pendens nec virtute nititur, nec constans & firmus manere solet, sed facilè dissolvitur, ut rectè* c. 4. c. l. *infert Aristoteles. Hoc modo amor benevolētiæ spectari potest* dupliciter 1. Generaliter, *prout habitus est, quô simpliciter aliquod bonum cupitur, & in hoc cupiendo sistitur. Ex hoc amore interdum est amicitia,* t. 3. *Sed nec præcipua, nec præcipuè hic attendenda.* 2. Specialiter, *prout habitus in actum deducitur, affectus in effectum, cupere in facere mutatur, & cogitata vertuntur in opera. Ita inprimis hic sumitur, & benevolentia pro actu benevolentiæ alteri exhibito acci-*

accipienda. Ita sumptam verum amicitiæ genus esse probari potest & positivè & remotivè. Positivè, *ostendendo, hoc legitimum genus esse. Hoc & ab essentiali competentiâ, & majorem ad amicitiam amplitudine ac latitudine sumi potest.* Essentiali competentiâ: *quia essentialiter benevolentia de amicitiâ prædicatur; nam bona volitio ad alterum in omni amicitiâ requiritur, & ideò ejus est fundamentum, ut amicitiam cogitare nequeas, quin cogites benevolentiam, sicut humanitatem non cogitabis, nisi cogitatâ animalitate.* Majore amplitudine: *quia latiùs patet benevolentia, quàm amicitia. Benevolentia enim sine mutuo amore ejus, cui benè vis, esse potest, quomodo David benevolebat Absalomo, ingrato filio.* 2. Sam. 12. v. 5. *Etiam in ignotum ferri potest. Sic benevolumus hominibus à furijs militaribus excarnificatis, etsi nunquã noverimus eos: Amicitia & mutuum amorem, & notitiam amati requirit, ut pòst patebit. Et benevolus in benevolendo præcisè sistere potest, ut actum & auxilium non addat: amicus ex affectu facit actum, & volita vertit in opera. Vnde benevolentia latior amicitiâ, ut omnis quidem amicitia sit benevolentia, sed non ex adverso omnis benevolentia amicitia, sed hæc specialius quid illâ sit.*

8. Remotiuè, *removendo omnia cætera genera, quæ amicitiæ assignari solent. Varia hæc apud Authores sunt.* Quidam *virtutem pro genere ejus ponunt.* Vt Rigerus l. 2. Eth. c. 9. *qui virtutẽ officiosam definit.* Gocleni: l. 2. Eth. Maur. c. 27. *Falsò.* 1. Virtus *enim est habitus electivus à nostrâ electione & potestate totaliter pendens.* d. 3. t. 6. *Sed amicitia non à nostrâ potestate pendet, requirit enim amorem mutuum alterius, qui in nostrâ potestate non est.* 2. Potest *quis esse virtuosus, probus & honestus absolutè, ut familiariter cum aliquo non verseture: ut si temperanter vivat, fortiter ferat,*

modestè se gerat, &c. Hic virtus est, sed amicitia non est. At ubi genus ponitur, nulla species ei inclusa excluditur. Hic autem virtus ponitur, amicitia tamen excluditur. E. virtus nequit se ad amicitiam, ut genus commune, habere. 3. Fundamentum *rei, quo nititur, non est res ipsa, nihil enim sui ipsius fundamentum, quia à fundamento res dependet, & illud præsupponit. Virtus autem est fundamentum amicitiæ, quo nititur amor mutuus inter amicos.* 4. *Virtus est cognatũ quid amicitiæ.* Aristotel. 8. Nicom. c. 1. *Sed cognatum rei non est res ipsa, vel genus ejus, nihil enim sibi ipsi est cognatum.* Dices: *Amicitia est laude & honore digna: servat medium inter odium & hypocrisin, quæ virtutis sunt propria. E. rectè virtus dicitur. R. Etiam semivirtutes & laudabiles quidam affectus laude & honore sunt digni, & servant medium inter extrema.* d. 9. t. 10. 11. seq. *Non tamen virtutes, sed analoga quædam virtutum. Idem de amicitiâ habendum:* Quidam *per affectum definiunt.* Danæus l. 3. Eth. Chr. c. 3. *aliiq́;. Sed* 1. Affectus *est per naturam homini ab ortu inditus: Amicitia autem conciliatur, & est acquisitum quid, non connatum.* 2. *Affectus magis est instar habitus a. potentiæ naturalis. Sed amicitia est propensio quædam affectus.* t. 7. *non ergò nudè affectus dici potest, quanquam hic ei semper cõnexus sit.* 3. Affectus *suâ naturâ est indifferens ad bonum & malum morale, ut amor, lætitia, tristitia, odium, ira. Sed amicitia magis ad bonum morale determinatur, non quidem primariò, ut virtus, sed consequenter, ut aliquis virtutũm usus & exercitatio.* Quidam *per caritatem.* Scultetus l. 1. Eth. c. 27. *Sed amicitia caritatẽ, tanquam officium sibi junctum, habet, non est ipsa caritas.* V. t. 16. *Et caritas est affectus: Amicitia non, ut ante visum est.* Quidam *per unionem vel conjunctionem definiunt, adeoq́; in relatione statuunt.* Keckerm. l. 3. Eth. c. 6.

&. d.

& d. 27. Cur. Phil. t. 42. & l. 1. Gym. Log. c. 15. *Et in eodem libro aliquot exemplis thematicis de amicitiâ:* Timpler. l. Eth. c. 6. q. 11. & 15. Velsten. dec. 10. d. 1. Eth. & alii. *Sed* 1. Unio *consistit inter illa, in quibꝰ velut medijs extrema quædã uniuntur & conveniũt. Sed amici cõveniunt nõ in amicitiâ, sed in alio ab amicitiâ tertio, virtute morali, vel utilitate, aut jucunditate, vel similitudine, &c. E. unio non in amicitiâ, sed in illo triplici medio est. Et consequenter, si in amicitiâ non uniuntur amici, nec amicitiâ unio per se dici potest. Nam unio est copulatio eorum, in quibus tanquam in tertijs quædam conveniunt.* 2. Causa *efficiens externa rei non est ipsa rei essentia. Externum enim ipsam rei essentiam tanquam conceptus essentialis non constituit. Sed amicitia est causa efficiens externa unionis quorundam in virtute. Quærendo enim, per quid fiat, ut amici in aliquo tertio, virtute vel alio conveniant, rectè respondetur, per amicitiam velut causam fieri. E. unio nequit esse conceptus genericus amicitiæ.* 3. Si *maximè unio esset genus, nondum amicitia fieret relatum prædicamentale: unionis enim Natura est transcendentalis, & per omnia prædicamenta fundi potest. Quod autem omnibus Categorijs competit, ad unam, ut relationem, ligari non debet. Et relationis prædicamentalis nullus est motus, vis, aut efficacia.* 2. phys. 2. t. 10. 18. *Sed amicitiæ magna est in rebus humanis vis & efficacitas. Non ergò relatio de Categoriâ relationis esse potest. Est quidem inter amicos* σχέσις *quædam,* t. 3. *Sed primaria hæc amicitiæ consideratio non est, & ex quâ, velut genere, definienda. De reliquis Veterum in genere amicitiæ variationibus* Aristot. 8. Nicom. c. 1. *consule.*

9. *Ita* genus *amicitiæ firmatum: Cætera ad* differentiam *pertinent, &* partim *ab adjunctis propriis,* partim *à causis sunt sumpta. Ex adjunctis determinatur benevo-*

lētia, cum dicitur vera, nota, aperta, actuosa & mutuò exercita. *Amicitia non quævis est benevolētia, sed determinata & certo modo se habēs. Est* vera, *ut distinguatur ab apparēte, falsâ simulatâ, hypocriticâ: & consensum oris, cordis & operis in amicitiâ simul concurrere innuatur. Multi sunt amici ore & verbis, non re & factis, minùs interiore affectius. Hi non Ethici amici, sed dicti tantùm & æquivoci sunt. Virtus inter cætera attributa requirit sinceritatem,* d. 3. t. 9. *Sic & usus virtutum amicitia, ex sincero esse debet, ut fundamentum ejus cor & interior affectus sit, non actus exterior aut apparentia. Amicus in pectore nasci debet, non atrio.* V. t. 16. Nota, *ut distinguatur â benevolentiâ erga ignotos exercitâ, quib. benè velle & facere possumus, amicitiā cum illis habere non dicimur. Sic Christianis in Turciâ captis benè velle, & per eleemosynas facere possumus: amicitiam moralem cum illis habere non possumus, quia nec nos distinctè novimus ipsos, nec ipsi nos.* V. t. 6. Aperta, *ut distinguatur ab amore, quo ferimur in aliquem occultè, ut ipse non sciat, se â nobis amari, etiamsi aliàs notus nobis sit. Hic etiam propriè dicta amicitia non est. Amor enim amicitiæ non solùm in ignotum non est, sed nec ignoto affectu in aliquem est, ut ipsi ignotus sit talis in se affectus. Amicos enim dicimus, quorum nota* & *aperta inter se est benevolentia. Si alter alterum redamet, sed latenter, ut nulla sint benevolentiæ signa interna, pro amicis â nobis æstimari non possunt, Vt* Aristot: 8. Nicom. c. 2. *testatur. Et* c. 4. *amicitiam redamationem non latentem vocat.* Actuosa, *ut benevolentia non in nudo affectu aut habitu consistat: sed affectum mutet in effectum, & operibus ostendat, se amicè affectum esse.* V. t. 3. *Debet enim amicitia, ut* Cicero in Lælio *loquitur, esse officiosa, quia amici non tantùm est benè velle, sed multò magis benè facere. Officiis a. sublatis, quod sæpè longo locorū interuallo & prolixo*

silen

ſilentio fieri ſolet, etiam amicitia diſſolvitur. Vnde Iſocrates: ἡ προσηγορία πολλὰς φιλίας διέλυσεν: *vel, ut* Baudius C.3. ep. 32. *profert:* πολλὰς φιλίας ἡ σιγὴ διέλυσεν. *Multas amicitias ſilentium diremit. Huc & illa parœmia pertinet:* Non *ſunt amici, qui procul ſedes colunt.*

10. Mutuò exercita, *ut diſtinguatur ab amore, qui ferri poteſt in eos, qui non redamāt. Hic amor eſt, amicitia non eſt, quia amor non mutuus eſt. Vnde* Ariſtot. 8. Nicom. c. 2. *diſtinguit inter* φιλίαν & φίλησιν: & φιλίαν *adhuc conſtantius aliquid, quàm* φίλησιν *ait, & quæ requirat* ἀντιφίλησιν *ſ. reciprocatum amorem. Poſſumus amare etiam hoſtes, inimicos & averſos à nobis: ijs benè velle, deſiderium benefaciendi illis habere, benè facere etiam, ubi res poſcit: Sed nondum cum illis nobis eſt amicitia, quia non mutuò amor ab illis in nos defertur. Poſſumus amare etiam res inanimatas: aut animatas inſenſatas, aut ſenſatas irrationales, ut pecunias, agros, arbores, caſtellos, equos; & ſed nondum cum illis eſt amicitia, quia non proæreticè illa nos redamant. Ad amicitiam ergò requiritur* & amor activus, *quo alterum diligimus:* & paſſivus, *quo ab altero diligimur. Et valet hic illud* Hecatonis: *Monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, ſine herbâ, ſine ullius veneficæ carmine: ſi vis amari, ama.* Seneca ep. 9. *Et activum præſtantiorem eſſe paſſivo* c. l. c. 8. *docet* Ariſtot: *partim* quòd *omnis actio in bonis præſtantior ſit paſſione:* partim, *quòd laus virtutum in actione conſiſtat: partim, quòd amare per ſe ipſum expetatur, ut cum matres impenſiſſimè liberos amant, etiam cum per ætatem ab illis redamari, aut quidquam præmij reportare nequeunt; amari autem ob aliud. Qui enim amari volūt,* vel *ob ſpem lucri faciunt, ut ſi amantur à ditioribus, ſperant, ſe ab ipſis accepturos, quo indigent:* vel *ob conceptam virtutis confirmationem, quâ opinionem de virtute ſuâ ab illis, à quibus*

 aman-

amantur, confirmari putant, cum amantur; Unde & rationē desumit Aristot: Cur pleriq; amari malint, quàm amare? *Quòd insita illis honoris cupiditas est: Et se honorari ab illis persuasi sunt, à quibus amantur, & sic amorem appetunt propter honorem, quem præstantiorem amore æstimant. Ex hoc amore mutuo etiam æqualitas aliqua amicorum colligitur, saltem secundum proportionem, ut amicus amico velut vicem rependat, cum eum redamat.*

II. *Ex* subjectis *dicitur amicitia benevolentia quorundam inter se.* *Subjecta amicitiæ moralis sunt homines, non bestiæ, quæ incapaces ejus: non angeli, qui superiores eâ. Moralia enim pro hominib. sunt, non angelis aut beluis.* d. 2. t. 5. *Illa subjecta* vel *quà qualitatem considerari possunt, Ubi sincera, nota, aperta, virtuosa, benefica & benevola esse debent.* V. t. 8. 9. seq. 15. 16. vel *quâ quantitatem, Ubi amicitia perfecta nonnisi inter paucos esse potest, ut docet* Aristot. l. 8. Nic: c. 5. & l. 9. c. 10. *Ubi virum bonum nec* ἄφιλον, *nec* πολύφιλον *esse vult. Non* ἄφιλον, *quia contra humanitatem id est: non* πολύφιλον, *quia contra prudentiam & perfectum virtutum exercitium hoc est. Nam* 1. Vera *amicitia in eminentiâ quadā amoris debet consistere, ut ille sit fidus, sincerus, beneficus, constans.* t. 16. *Sed quod ad eminentiam accedit, ad paucitatem, ac penè unitatem, accedit.* 2. *In Verâ amicitiâ alter intensè placere debet alteri, ne ingratus ipsi evadat. Sed multis placere diffililimum, omnibus impossibile est, secundum illud: Ne Jupiter quidem omnibus placet. Et qui omnibus placere studet, tandem nemini placet. Qui omnium amicus esse cupit, tandē nullius est. 3. Vera amicitia tantùm inter bonos esse debet, j.e. illos, quibus in ipsis inest causa, Cur diligantur. Sed hoc genus rarum est, ut omnia præclara rara sunt.* Cic. §. 79. Læl. *Et bonorum semper exiguum est numerus. Rectè* Iuvenal. sat. 13.

Rari

Rari quippe boni; *numero sunt vix totidem, quot Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.* 4. *Amicus longo tempore explorandus, priusquàm in intimam societatem admittatur. Benè n. cavendum, ne nimis citò diligere incipiamus, nevè indignos.* Cic. Læ. c.l. §.78. *Et cum multis vivendū casu, cum paucis electione.* *Cum iudicaveris, diligere oportet: non cum dilexeris, judicare.* Id. §. 85. *Sunt in animis hominum multæ latebræ, multi recessus.* Cic. p.Marcel. §.23. *Sed plures difficulter explorari possunt.* 5. *Inter amicos omnia concordia esse debent. Sed inter plures difficulter obtinet concordia.*

12. 6. *Si plures amici legendi, aut ob utilitatem, aut jucunditatem, aut honestatem legendi erunt. Non utilitatem, nam pluribus inservire & largiri partim difficile, partim nostris facultatibus detrimentosum est: partim impedimento est in reliquis actionibus vitæ rectè expediendis. Vt fluvius in multos deductus rivos tenuis ac languidus fluit: Sic benevolentia in multos diffusa languescit. Non jucunditatem, multitudo enim facilè tædium, rixas, contemptum, parit. At hæc omnia veræ amicitiæ maximè sunt contraria. Vt condimentis in cibo parcè utendum, sic suaviores eos reddunt: Immodicè sumta, nauseam & incōmodum stomacho generant: Sic amici pauco numero adhibendi: diffusè assumpti tædium & turbulentiam conciliant. Non honestatem, nam officia veræ amicitiæ inter multos constare nequeunt, ut consentire, moribus similem esse, intimo amore complecti, in utrâq; fortunâ & gaudendo & dolendo præstò esse. Ita ex nullâ parte cum pluribus amicitia coli potest. Et qui multis amici sunt, magis* ἄρεσκοι, *quàm* φίλοι, *placentini, quàm amici sunt dicendi, ex* Aristot. c.l. c.5. *Vnde dici solet: Multi sunt placentini, pauci Veronenses: multi amici ex formâ, pauci ex vero. Cui & Scriptura consentit,* πολυφιλίαν *cavere jubens.* Sirac. 6. v. 6. 7. *Et Pythagoras suo symbo-*

symbolo id adumbravit: Multis manum ne inieceris. Hesiodus μήτε πολύξεινον, μήτε ἄξεινον καλέεσθαι *aliquem vult; nec multorum, nec nullorum hospitem dici. Omnes n. amicos habere operosum, inimicos non habere satis est.* Senec. ep. 79. *Sapiunt, qui ante amicitiam iudicant: Magnorum non cupiũt, multorum rejiciunt. Sic Augustus Cæsar paucissimos in amicis habebat, Mæcenatem & Agrippam.* Senec. l. 6. d. ben. c. 32. *Albertus II. Imp. sæpè in ore habebat: Amicum ne temerè asciveris: ascitum ne leviter rejeceris. Quod ex Solonis quodam dicto sumptum videtur.* V. Camer. C. 1. c. 35. Quantus a. amicorum numerus habendus sit, *ex conuersandi commoditate & mutuâ officiorum communicatione æstimandum est. Perfectissima inter duos consistet.* Dices: *Bonum quò communius, eò præstantius, ad plures enim usum sui transfundit.* 3. Top. c. 2. *E. & amicitia, quò latior & communior, eò præstantior. R. Bonum quò communius, eò præstantius, si scilicet ex istâ communitate nulla sequatur incommoditas, quà alicui derogetur. Sic splendor solis, candelæ, quò communior & ad plures funditur, eò præstantior. Sic pax uniuersalis præstantior particulari. Sed si ex communitate sequatur incommoditas, non est communius præstantius. Sic equus communis non præstãtior proprio, quia usus communis multorum usibus incommodat; dum unus eo utitur, alter carere cogitur. Tunica communis non præstantior propriâ, quia derogatur commodo usui multorum per communem usum ejus. Sic ex communitate amicitiæ multùm incommodatur veræ amicitiæ, oriuntur enim distractiones, dissensiones, jurgia, discordiæ, amor & benevolentia vilior, quæ contra naturam amicitiæ. Ex causâ impulsivâ ad ultimum dicitur* amicitia honesti & amabilis boni gratiâ exhibita. *Ratio ad colendam amicitiam est* vel *bonum honestum, ut virtus ejusq; promptius exercitiũ, hoc primariò in*
amici

amicitiâ morali attendendum: vel *amabile, hoc secundariò attendi potest. Estq́;* vel *utilitas, cũ usum nostrum & indigentiam spectamus, indeq́; amicitiam sectamur. Sic indigus divitum amicitias appetere potest: mercator alterius amicitiam ob promptiùs exercendam mercaturam & commutandas merces:* vel *jucunditas, ut oblectatio mutua, quâ, ut muscæ ad culinæ nidorẽ, sic homines, præsertim juvenes, ad amicitiam alliciuntur:* vel *societas in rebus jucundis & adversis, ut habeamus, cum quibus gaudeamus in lætioribus, doleamus in tristibus. Qui enim simùl fecerunt naufragium, facilè invicem ad amãdum inducuntur. Plura ex causis amicitiæ patebunt.*

13. *Fuit* definitio *Amicitiæ: Sequuntur* Causæ. *Eæ* vel *efficientes*, vel *conservantes*, vel *finales.* Efficiens *est* vel *prima, DEus, qui hominem animal sociale adeoq́; ad amicitias colendas habilem fecit: & voluntate suâ ad veras amicitias homines, præsertim Christianos, impellit:* vel *secunda, quæ vel remota est, ut Natura, quæ fundamenta amicitiæ suppeditavit, amorem, inclinationem, similitudinem morum, vitæ, actorum. Valet hic illud Senecæ* ep. 6. Ad amicitiam sapientem fert non utilitas, sed naturalis irritatio. *Nam ut aliarum rerũ nobis innata dulcedo est: sic amicitiæ. Quomodo solitudo in odio est: sic in dulcedine appetitio societatis. Quomodo hominem homini Natura conciliat: Sic inest huic quoq́; rei stimulus, qui nos amicitiarum appetentes facit:* vel *occasionalis, quæ ad conciliandas amicitias occasionem suppeditat, ut indigẽtia, quia ad usus nostros sæpè amicis indigemus. Caremus primò vitæ conjunctione, & ex carentiâ desiderium conjunctionis subit, ac amicitiam bonumq́; aliquod in amico appetimus. Negat* Cicero in Lœl. §. 27. *seq: Inopiam amicitiæ esse causam, & potius â naturæ affectu ac copiâ oriri eam existimat. Sed non facilè negandum, Cui experientia fidem facit. Caremꝰ*

certè vitæ conjunctione ante amicitiam, quæ velut indigentia finis ac objecti dici potest: ideò eam expetimus, eaq; fruentes conservari illam optamus. Deinde & caremus beneficentiâ illâ, quâ in amicum beneficia effundere volumus, quæ indigentia officij dicitur. Hanc etiam appetimus. Vnde amorem in nobis terminari dicimus, amicitiam magis in alio, quia illi maximè benefactum volumus, quia est velut alter ipse, & velut imago ac umbra nostri. Ita veteres copiam pro patre, inopiam pro matre amicitiæ posuerunt. Piccolomin. gr. 7. c. 5. Evenius d. 22. Eth. th. 2. n. 12. *negat hanc causam, quòd privativum & malum quid, quale indigentia, nequeat esse causa positivi & boni, quale amicitia. Sed antecedens de causâ rigidâ & physicâ valet, quæ positivè per realem & physicum influxum in esse causati influit: non latâ & velut morali, quæ qualemcunq; occasionem ad rem suppeditat. Sic morbus movere potest ad quærendum Medicum, peccatum ad recipiendum servatorem, paupertas ad occupandum laborem, &c. Sic magnum pauperies opprobrium jubet quidvis facere & pati, virtutisq; viam deserit arduæ.* Horat. l. 3. od. 24. *Paupertas omnes artes edocet, ubi quem attigit.* Plaut. in stich. a. 2. f. 1. *Paupertas impulit audax, Vt versus facerē.* Hor. l. 2. ep: 2. *Sic & indigentia occasionem suggerit ad expetendam amicitiam. Ita dicta est causa occasionalis:* vel *propinqua, quæ* vel *generalis, & ponitur ab Aristotele æqualitas: Vbi enim amicitia esse debet, ibi aliquam æqualitatem adesse oportet. Est enim amicitia æqualitatis Magistra, ut* Ambros. 3. off. *ait. Et si querelæ aliquæ ob inæqualitatem intercurrāt, occurritur illis retributionis æqualitate. Ita* Pythagoræ φιλία ἰσότης *dicebatur. Et communiter* ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, *simile gaudet simili, dicitur.* τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ. *Cicada cicadæ amica. Sic in matrimonio, si vis aptè nubere, nube pari, dici*

solet

ſolet, in quo ſumma amicitia. Sic & in amicitiâ illud Epicharmi *valet: Conſtat in hoc neruo ſapientia, fidere nulli: Aut* ſi vis ulli fidere, fide pari. *Quòd ſi nimia ſit diſtantia, ut vix ad æqualitatem redigi poſſit, ceſſabit amicitia. Ita inter Deum & hominem, maximum Regem & vilisſimum vappam, ſtupidisſimũ & ſapientiſsimũ hominem non eſt amicitia moralis & strictè dicta. Niſi fortè talis, de quâ Germani:* **Ein ſchlechter Mann eines Herrn freund/ Sein Narr oder Eſel zuſein iſt gemeint.** *Sic moriones in aulis principũ, amici, ut re ſtulti habeãtur.* An inter ſenes & juvenes amicitia eſſe queat, hic *quæri ſolet? Ex inæqualitate ad negantem inclinat Philoſophus* 8. Nicom. c. 8. *Iuventus læta, animoſa, & audax, temeraria, voluptuoſa, facilis, eſt. Senectus moroſa, timida, circũſpecta, triſtis, difficilis, eſt. Hæc admodùm inæqualia. Poteſt inter eos eſſe amicitia, ſi ſint juvenes & ſenes annis, mento, & figurâ: non animis, mente, & affectibus ac ſtudijs. Hic, quod annorum diſparitate deeſt, animorum conſenſu & paritate penſari poteſt. Et ubi æqualitas Arithmetica deeſt, poteſt ſuccedere Geometrica.* Arithmetica *æqualitas eſt, cum officiorum & vitæ conditionis eſt paritas. Hæc inprimis in ſtrictâ amicitiâ obtinet, & inter ita pares facillimè contrahitur & ſervatur amicitia, ut Scythæ ad Alexandrum M. dicunt ap.* Curt. l. 7. c. 3. *difficilius inter impares: & quò major eſt inæqualitas ſubjectorũ, eò major ad contrahendã ſervãdãq́ amicitiã difficultas. Sic inter juvenes & ſenes difficilis eſt amicitia: & qui amici fuerũt in æqualitate ſtatuum, & inæqualitas intervenit, ut alter in majorẽ ſtatũ evehatur, ſæpè deſinit amicitia, imò in contrarium degenerat. Sic Pericles ad gubernacula admotus deſinebat curare Anaxagoram, quem amicum utiliſſimum habuerat.* Laerti. l. 2. c. 3. Geometrica *eſt, cum in ſtatuum diſparitate æqualitas in proportione rationum quærenda eſt, quâ conveniente*

officiorum proportione personarum compensatur inaequalitas. Vt cum parentes liberis victum ministrant, hi obedientiam & cultum illis exhibent: Cum superior inferiori benefacit, inferior magis amat & veneratur superiorem. Haec secundariò etiam in amicitiâ attenditur, quia primaria amicitia non in quibusvis subjectis invenitur. Et cum perfectissima haberi non possunt, satis est in secundis tertiisq́ subsistere. Causa specialis *amicitiae potest* vel *conversatio & consuetudo esse, quâ alterius mores, mens, studium, ingenium, explorantur, & primum ad amicitiam conciliandam fundamentum esse solet:* vel *admiratio alienae virtutis, cui nos caros esse valdè cupimus:* vel *actus benevolentiae ab alio exhibitus:* vel *propinquitas & cognatio sanguinis, quâ alteri juncti sumus, affinitate vel cōsanguinitate: vel utilitas, iucunditas & societas nostra, de quâ* t. 11. *dictum.* Causae conseruantes *amicitiae sunt crebrae cōversationes, beneficentiae, cognitiones bonitatis in amico, dissimulationes labis & vitiorum in eodem, communicationes promptae, & similia.*

14. Finales causae *sunt, ob quas amicitia colitur. Haec* vel *ultima esse potest, quae* vel *generalis, Felicitas practica civilis, ut illa cùm servetur, tùm foveatur & exornetur. Facit enim amicitia ad felicitatē civilē, ut usus aliquis medii moralis: & moraliter beato amicis opus est & in secundâ & adversâ fortunâ,* t. 3. vel *specialis, quae in Christiano potissimùm attenditur, & est gloriae DEi illustratio, & proximi specialior dilectio. Huc enim, ut ad scopū, veri Christiani omnia sua in toto vitae cursu dirigunt:* vel *intermedia, quae est amici salus & utilitas, ob quam amici causâ fit, quidquid fit, ut illi tribuatur, quod aequum est. Aequitas haec non spectanda semper secundum speciem & apparentiam, ut statim facias in amici gratiam, quaecunq́ ipsi placuerint: Sed secundùm rem & veritatem, quod reverâ aequū*

& ju-

& justum est, in eo gratificandum amicis: μεχρὶ βώμου, ad aram usq;, ut Pericles dicebat, non ultrà. Et illud hic cogitandũ: Non potes me amico uti & adulatore, ut Phocion dixit. Erasm. l. 4. §. 12. Cum enim ex verâ virtute morum nascatur, nihil quidquam, nisi honestum & rectum, alter ab altero postulabit. Maximum enim amicitiæ ornatum tollit, qui ex eâ tollit verecundiã. Cic. Læl. §. 82. Cũq; virtutũ adjutrix à naturâ data sit amicitia, non vitiorum comes, ut Idem §. 83. ait, prima in illâ lex sancietur, Ut neq; rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Id. §. 40. Ita ergò turpia, inhonesta, imprudentia, temeraria, noxia amico, non sunt agenda. Sic in amici gratiam non est mentiendum aut pejerandum: alter non verberibus sine causâ dedolandus: amico febrili ardore æstuanti non haustus gelidæ contra præscriptum Medici porrigendus, graviùs enim eâ postea læditur, etsi ad tempus refocilletur: furioso ipsi non gladius porrigendus, quò se aut alterum lædat. Sic rectè Rutilius amico injusta petenti, &, quid opus mihi tuâ amicitiâ, si petita non accipio, dicenti, respondit: quid tuâ mihi opus, si inhonesta propter te facere debeo. Valer. M. l. 6. c. 4. Et malè Agesilaus in amicorum gratiam etiam injusta agebat. Cari de amico scripsit: Nicias, si nihil peccat, dimitte: Si peccat, mihi dimitte; omninò autẽ dimitte. Erasm. in Ages. §. 18. Sed si honestè & prudenter amico succurri possit, etiam cum damno alterius subveniendũ. Sic si amicus se obsidem pro te captivo tradiderit, ut tu liberareris certâ depensâ argenti summâ, & argẽtum quidem ad manus habeas, sed quod debitori alicui debeas, qui olim tantum crediderit, & utriq; simùl solvere nequeas, potius liberabis ære isto amicum obsidem, & debitorem exspectare sines, quia magis obstrictus teneris amico obsidi ad liberãdũ, quàm debitori ad exsolvendum; amicus enim magis alter tu est, quàm debitor: & omissio redemptionis amici periculosior

est omissione solutionis debiti, Amic⁹ enim de vitâ periclitatur, debitor tantùm de pecuniâ. At hæc pensari potest, illa minimè.

15. *Fuerunt* Causæ *amicitiæ: sequuntur* Affectiones. *Hæ* vel *attributa,* vel *officia,* vel *effecta amicitiæ dici possunt.* Attributa *sunt necessitas, utilitas, Jucunditas, dignitas, & raritas.* Necessitas *patet partim ex nostrâ indigentiâ,* t. 13. *partim ex fine morali, ad cujus expedientiam & melius esse etiam amicis opus est,* t. 3. *quod & natura hominis docet, qui ζῶον πολιτικὸν f. sociale animal est, quòd sociâ, non solitariâ vitâ delectatur: & distributio statuum f. generum vitæ, dum & secũdus & adversus status amicis opus habet,* t. 3. *partim ex omni vitæ ætate, quæ amicis opus habet. Infantilis ob alimentum, juvenilis ob morum correctionem, virilis ob commodius cum aliis virtutum exercitium, senilis ob adjutorium, ut quæ ipsi per se nequeunt, per amicos expedire possint. Conf.* Senecam d. tranq. an. c. 7. Utilitas *amicitiæ similiter in omni vitæ statu & ætate ex dictis patet. Etsi a. utiliores sint amici in adversis, quàm secundis, ob solatium, usum, adjumentum: parandi tamen magis sunt in secũdis, quàm adversis, quia non convenit malorum nostrorum eos velle participes fieri: Nec constantis est, multum de adversis dolere: minùs alios in doloris consortiũ pertrahere. Vbi ergò id non est, quod magis creditur adesse, minùs id esse decet, quod minus creditur. Sed ubi nos in aliorũ amicitias insinuare volumus, promptiùs id faciemus tẽpore adverso, ut solatium & adjumentum ferre præsumamur: non secundo, ne beneficium expectare videamur.* Iucunditas *est, per quam suave est, amicum habere, cui velut alteri tibi fidas, & in quo teipsum contempleris. Hinc pulchrè* Architas *dixit: Si quis cœlum ascendisset, & naturam mundi ac pulchritudinẽ ejus aspexisset, insuavem tamen illi admirationem illã futurã, nisi aliquẽ, cui id cõmunicaret, haberet.* Cic. Læl. § 88.

Conf.

Conf. Casum 9. Eth. c. 11. Dignitas, *quæ ea, ut nihil ex se- met creârit natura pectore amicitiæ majus, nec rarius unquam, ut* Manil. l. 2. *loquitur. Et multum ei daturus es, Cui dederis amicum, ait* Seneca l. 6. d. benef. c. 32. Raritas, *quâ vera amicitia non frequenter reperitur. Res non domibus tantùm, sed seculis rara est, verus amicus: nec alicubi magis deest, quā ubi crediturabundare.* Idem c. l.

16. Officia *amicitiæ sunt munera illa, quæ â vero ami- co occupari fas est. Suntq; amor,* εὔνοια, ὁμόνοια, & εὐεργεσία, *benevolentia, Concordia, & beneficentia.* Amor *sincerus, fi- delis, maximus, & constans esse debet.* Sincerus, *ut principiū & radicem habeat in corde, non ore solùm vel opere: Hoc n. hy- pocrisin sapit, & Scripturæ prohibetur,* Sirac. 6. v. 8. 9. *seq. Ra- tioni etiam & naturæ amicitiæ maximè contravenit. Si n. vi veracitatis sincerè cum quovis agendum, ut* d. 7. t. 20. *visum: maximè cum amico, qui est alter ipse. Abdito pectorum vera amicorū caritas recondi debet, ut ipsa habitatio cordis in oper- to est.* Symmach. l. 4. ep. 42. *Et in pectore amicus quæren- dus, non in atrio. Illò recipiendus est, illic retinendus, & in sen- sibus recōdēdus. Seneca* l. 6. de benefic. c. 34. *Hinc Antigonus Dijs sacrificans precabatur, ut à simulatis amicis se servarent. Et Alphonsus R. gavijs avibus eos similes dicebat, quæ proje- ctum cibum avide arripiunt, & aufugiunt.* V. Drexel. l. 1. Phaëton. c. 1. §. 1. Conf. th. 6. Fidelis, *anima enim amicitiæ est fidelitas, ut dicitur. Et integritate fides alitur, fide verò amicitia. Nihilq; stabile est, quod infidum est.* Cicer. Læl. §. 65. *Socrates eos, qui amicitiæ fœdus violarent, etsi supplicia effugerent, DEi tamen ultionem nequaquam evasuros dicebat.* Maxim. ser. 6. *Cicero eum, qui amicitiæ fidem lædat, omniū cōmune præsidiū oppugnare, & quātū in ipso est, vitæ societatē̄ disturbare dicit, pro* Rosc. Amer. §. 111. Maximus, *ut amicū*

ames

ames velùt teipsum: est enim amoris amici fundamentum sui amor, seu φιλαυτία *licita & honesta. Seipsum autem vir bonꝰ maximè amat, secundum illud: Ordinata caritas incipit à seipsâ. Et proximus egomet mihi. Ac qui sibi nequã, cui erit bonus? Amat a. bonus seipsum maximè non objectivè, quasi ipse maximũ esset amoris objectũ: sic enim DEus, patria ejusq́; salus majꝰ esse possunt: Sed appretiativè & efficaciter, quòd maximè sibi præ omnibus aliis benè esse velit. Ita & amicum amare debet, nihilq́; plus sibi ipsi, quàm illi optare. Simulatq́; sibi aliquis, quàm alteri benefacere maluerit, nulla amplius est amicitia.* Cic: 1. d. leg. §. 34. Dices: *Scriptura jubet alium plus amare, quàm nos ipsos.* Exod. 23. v. 5. Philip. 2. v. 3. 4. *E. nequit amicitiæ fundamentum amor sui ipsius esse. R. N. C. Potest in certo casu quis alteri servire etiã cum detrimento, alterũ præferre ex modestiâ, Vt tamen radix amandi sit in illo, qui amat. Eo ipso n. quà talia alteri præstamus, cupimus similia nobis ab aliis præstari, & sic nos ipsos maximè amamus.* Constans *sit amor, ne vel quovis vento concutiatur, vel quavis de causâ dissolvatur. Difficilis enim est bonarum rerum satietas, ait* Symmachus l. 4. ep. 16. *Nec sentit vera amicitia officiorum satietatem, eorumq́; etiam, cum redundant, sitis magna est, ut* Idem *alibi. Perennis fides & in amore constantia finiri, nisi morte, non potest,* Plin. l. 9. ep. 9. *Et vera amicitia non fuit, quæ desinere potuit, ut* Seneca *alicubi.* Arist. 2. Rhet. c. 21. & 7. Eudem. c. 2. *senarium adducit:* Non est amicus hic, qui amare desinit. *Sic amicitia inter pocula contracta vera non est, quia instar venti dissipatur, & jure vitrea dicitur.* V. Camerar. C. 1. hor. succ. c. 94. *Sed quid de illo Biantis habẽdum:* Ama, tanquam osurus? *Cujus Aristot.* 2. Rhetor. c. l. *meminit?* Aristot: c. l. *invertendum ait, & ita odio prosequendum, tanquam sis aliquando amaturus.* Cicero Læl. §. 59.

inimi-

nimicissimam amicitiæ vocem habet, nec Biantis sapientis, sed impuri & ambitiosi cujusdam esse putat. Intelligendum est dictum de amicis degenerantibus in malos, *aut de amicitiâ nondum firmiter contractâ, Vbi adhuc exploratur ingenium futuri amici. Hic valet: Ama tanq. osurus: plurimi n. sunt mali, quod dicto adjicit* Laertius l. 1. in Biante. *Cautio & prudentia in amicitiâ præcipitur, non temerarium odium.*

17. *Benevolentia est propensio voluntatis, quâ bonum pro eo, quem amamus, appetitur. Vnde benevolus alteri bona cupit & optat.* Concordia *est consensus inter amicos de rebus utilibus & actionem concernentibus. Hæc in amicitiâ requiritur secundum illud* Terentii: Idem velle & Idem nolle *ea demùm firma est amicitia. Vel, ut* Silius Ital. l. 9. *reddidit: Velle & nolle ambobus idem, sociataq; læto mens ævo, ac parvis dives Concordia rebus. Vnde* Aristoteles, *quid amicus esset, rogatus, unum animum duobus inhabitantem corporibus respondit. Distinguenda hæc tamen ab* ὁμοδοξίᾳ, *quæ est unio sententiarum, quæ etiam inter ignotos, & absentes, & inimicos esse potest. Concordia tantùm inter notos, præsentes, & amicos. Illa in rebus speculativis & scibilibus consistit, quarum esse in scire est, non agere: hæc in practicis & agibilibus, quarũ esse in agendo consistit, & publicam vel privatam utilitatem spectat. Hic illud cogitandum: Non eadem sentire bonos de rebus iisdem Incolumi licuit semper amicitiâ. Nam dissensio sententiarũ non tollit consensum animorum & voluntatum. Sed* an & cũ dissensione in reb9 fidei vera amicitia moralis possit cõsistere, *hic quæritur? Negat* Crugerius in hort. virt. q. 96. *cum Theologis quibusdam eò inclinantibus, ut* Ignatio, Gregorio, Hieronymo, D. Mentzero, &c. *Quòd pectora religione divulsa firmiter conglutinari non possint: & vera amicitia sit, quæ Christi glutino copulata Dei timore & scripturæ studiis cõcilietur, nec amicus fidelis haberi possit, qui DEo fidelis non est: nec*

 frater

frater aut amicus esse queat, qui Dominum nostrũ blasphemet, ut Ignatius dixit. Papistæ adeò unam religionem inter amicos requirunt, ut ne quidem in Republ. homines sociatos diversarum religionum ferri debere dicant. V. Bellar. l. 3. d. Laic. c. 18 Lipsium 4. Polit. c. 2. Windeck. l. d. hær. exstirpãd. *Nec felicem Rempubl. æstiment esse, ubi non sit una religio.*

18. *Distinguendũ hic I. inter amicitiã civilẽ & spiritualẽ. Hæc diversâ fide tollitur, nõ simpliciter illa. 2. Inter* ὁμόνοιαν & ὁμοδοξίαν. *Illa in amicitiâ morali requiritur, non semper hæc. Diversitas fidei est diversitas sententiarum, non voluntatum moraliter affectarum.* 3. *Inter jus poli seu numinis, & soli seu civilitatis. Ius poli ejusq; fraternitas non consistit cũ fundamentali dissensione fidei: benè jus soli & civilis humanitatis. Sic Bezæ & sociis fraternitas spiritualis in Colloq: Mõpelgardensi negata fuit, amicitiæ & humanitatis civilis non negata fuit.* V. Act. Coll. Mompelgard: p. 568. 4. *Inter seductores & pertinaces fidei hostes, qui scientes volentes eam oppugnant, exagitant, blasphemant: & seductos ac infirmos, qui errore & infirmitate diversæ fidei adstipulantur: alterã nec pertinaciter oppugnant, nec blasphemant, & fortassè in multis ignorant.* Cum his *amicitia civilis consistet, salvâ fidei diversitate. Et valebit illud: Diversitas religionis non tollit vinculum humanitatis. Cogitandum etiam:* Fidẽ simplicitate nixam *optimam esse: pessimam, scrupulositate. Multa condonanda infirmis: quæ secùs scientibus justè imputentur. Non turbandi in simplicitate infirmi: Sed instruendi & tolerandi. Faciliusq; eos* moribus & oratione *convertas quàm contentionibus. Multa Christus in Apostolis infirmitate errantibus tulit & dissimulavit. Ut errorem de mundano Messiæ regno.* Matt. 20. v. 21. Luc. 22. v. 24. c. 24. v. 21. Act. 1. v. 6. *Exemplum nobis ministrans, quid in simili nos facere.*

re æquum sit. Hic loci exempla conjugum diversæ fidei suppetunt, qui cætera unanimiter & jucundissimè vitam traducunt. Cum reliqvis *amicitia moralis vix contrahetur, & contracta vix consistet. Oppugnatio n. pertinax & blasphematio consensum animorum facilè tollit, qui fundamentum veræ amicitiæ. Huc illud* 2. Ioh. v. 10. 1. Timot. 6. v. 5. Tit 3 v. 10 *retuleris. Papistarum sententijs alij ex socijs contradicunt, quod ap.* D. Meisner. p. 3. P. S. s. 2. c. 2. q. 5. D. Gerhard. d. Mag §. 199. seq. & coron. Cent: qu: Politic: *ulterius videas.* Beneficentia *est, quà amorem nostrum re & factis erga amicum declaramus. Hæc etiam necessaria; quia amicitiæ ideò comparantur, ut commune commodum mutuis officijs gubernetur.* Cic. p. Rosc. Amer: §. 111. *Et ea rerum natura est, ut officiorum diligentia fructu vicissitudinis incalescat, ut Symmachus loquitur. Ita Diogenes manus ad amicos non cõplicatis digitis extendendas esse dicebat, notans, largè illis benefaciendum esse.* Laërt. l: 6. in Diog: *Hinc ex beneficentiâ* amicorum omnia dicuntur communia, *quæ salvâ honestate & decore cõmunicari possunt: ratione usurpationis, non possessionis, salvâ ratione & dominio possidentis, ne contra voluntatem, cum damno, dedecore, aut infamiâ amici res usurpemus. Vltrà hæc communio non est introducenda.* Diogenes *nimis hoc extẽdebat, & omnia Deorum esse, dijs autem sapientes amicos esse, amicorũ a. omnia esse cõmunia, ratiocinabatur. Quare & omnia sapientũ esse colligebat.* Laert. c. l. *Anabaptistæ & Platonici bonorũ omnũ cõmunionem introducunt, & uxorum communem usurpationem cum Gnosticis & gentilibus inducunt. Quod contra Apostolũ, qui cuiq; propriam uxorem esse jubet,* 1. Cor. 7. v. 2. *Cato petenti Hortensio uxorẽ concessit. Et Seleucus Antiocho Stratonices uxoris suæ amore capto eam despondit.* Camer. C. 1. c. 4 *Sed hæc deliria gentilium sunt, cum hone-*

state pugnãtia, contra quam nihil pro amico agendum, t. 14. Plura de hoc ap. D. Waltherum tr. d. Mannâ §. 231. vide. Ad beneficentiam pertinent officia ab amicis mutuò sibi præstanda. Hic vera amicitia monet & monetur, nec alterum tantùm facit liberè, alterum patienter accipit, non repugnanter, ut Cicer. Læl. §. 91. loquitur: sed & prudenter vitia amicorũ magis dissimulanda novit, quàm virtutes. Nec sanctum haberi, ut de moribus illorum citò perperam sentiamus: Sed ea diligentiâ censendos esse, quâ plerumq; nostra vitia diligimus. Sidon. in ep: Secundum illud: Amici mores noveris, non oderis. Quod si reprehendendum quid occurrit, quia nunquam sine querelâ ægra tanguntur, & imperata correctio exasperare solet, blandissimè amicitia corrigit exemplis, & dicta velut sesamo ac papavere sparsa adhibet. Monitio acerbitate, objurgatio contumeliâ careat. Cic. Læl. §. 89. Oculos si quis habet lippientes, insanus erit, si effodere eos malit, quàm curare, dicebat Trajanus: itahic corrigendum magis, quàm ad Vre seca veniendum. Si officijs repensandum, non omnia omnib. tribuẽda sciet, sed diversa diversis: prout Jovi non quævis animalia olim, sed determinata mactabantur. Sic ergò parentib. τροφὴ καὶ τιμὴ debetur: senibus τιμὴ ob ætatem, socijs παῤῥησία & κοινότης, Cognatis & tribulibus ἀνθρωπότης καὶ ἀρετὴ, ut quisq; aut optimus, aut officiosissimus, aut nobis proximus est.

19. Effecta amicitiæ vel sunt respectu amicorum ad invicem, vel aliorum extra amicitiam. Respectu amicorum sunt mutuum adjumentum in utraq; fortunâ ob amicitiam præstitum. V. Sirac. 6. v. 14. Prov: 18. v. 24. gaudium in prosperitate. Sic Hiram, 1. Regum 5. v. 7. amici Iobi. Iob. 42. v. 11. Elisabethæ. Luc. 1. v. 58. Condolentia in adversitate. Sic amici Iobi. Iob. 2. v. 11. Ionathan, 1. Sam. 20. v. 41. Vita facta jucundior & suavissima, status tristis facilis ac tolerabili

lerabilior. Sic animo ægro Medicus oratio amici dicitur. V. dec. 2. d. 5. t. 23. *Et amicus animi custos & medicamentum dici solet. Sic in adversis animum ad patienter ferendum fortiorem facit amicitia, in paupertate amicum unicum esse refugium* Aristot. 8. Nicom. c. 1. *ait.* Respectu aliorum *extra amicitiã effecta sunt* promotio virtutum moralium; *amicitia enim moralis promptius exercitium virtutum respicit, et homines meliores in virtute reddit. Alios ad Idem agendum & in virtute exercendâ se conjungendum animare amicitia potest:* Et Rerumpublicarũ conseruatio; *non enim in privato tantùm, sed & publico idem vult ac sentit amicitia. Ita inter Lælium & Scipionem non in virtutis tantùm amore & privatarum rerum consilio Idem animus, sed de Republicâ etiam idem consensus fuit.* Et Cicer. Læl. §. 103. *cum Respubl. constet ex collectione privatorum, privatos autem juvet amicitia, consequenter & juvat Rempublicam.*

20. *Fuerunt* affectiones *Amicitiæ: Sequuntur* divisiones. *Hæ* vel *ex objectis analogis*, vel *subjectis & statibus*, vel *gradibus analogicis sumi possunt. Ex Objectis analogicis amicitia* vel *est primaria, perfecta & propriè dicta*, vel *secundaria, imperfecta & impropriè dicta. Divisio hæc analoga est, & speciebus suis competit inæqualiter secundum magis & minus, prius & posterius. Per prius amicitia* Primaria *est amic: moralis, per posterius secundaria. Primaria & perfecta est* benevolentia proborum ex probitatis cognitione exurgens, *& ad honestam vitæ conjunctionem deducens. Dicitur benevolentia, quæ ex* t. 7. *patet.* Proborum, *quia fundamentum hic est probitas s. virtus moralis, boni enim amicitiam contrahentes rationem amandi non ex aliquo extra se sumunt, sed ex seipsis, virtutis similitudine: amor enim veræ Amicitiæ Ethicæ est amor benevolentiæ, non Cõcupiscentiæ.* t. 7.

Ex probitatis cognitione exurgens: *Causa hæc est amicitiæ honestæ, ut alter alterius probitatem cognoscat, indeq; actus amicitiã constituendi & confirmandi promat. Hac cognitione amicorum fundatur & æqualitas amicitiæ hujus, quâ uterq; se probitate instructũ nouit, utut circa cætera quædam intercurrat inæqualitas, modò ne nimia illa sit, amicitiam hanc non disturbat.* Ad honestam vitæ conjunctionem deducens: *Hoc à scapo primariæ amicitiæ sumptum. Non hic per se aut utilitas, aut jucunditas intenditur, ut in cæteris amicitiys: sed honestas morum & actorum in societate vel publicâ vel privatâ exercenda. In benevolentiâ amicorum fides, amor, & honestas per se fulgere debet. Si hæc exercendo simùl intercurrat utilitas aut jucunditas aliqua, per accidens id est, & præter intentionem amicitiæ primariæ essentialem. Facit n. amicitia ad honestatẽ exercendã, non proximè, formaliter, & constitutiuè: sic n. virtus hoc facit, Cujus actus formalis est actus honestus,* d.3. t.19. *sed remotè, exercitatiuè, & promotiuè, quia per amicitiam promptiùs ea exercetur, fouetur, & promouetur. Et proximè quidem honestas* priuatæ societatis *amicorum intenditur, Vnde amicus homini priuato per conformitatẽ virtutum proximè contingere dicitur: Consequenter & ultimò & honestas publica per amicitiam promouetur, Nam quæ priuatos perficiunt, consequenter & remotè & Rempublicam ex priuatis aggregatam perficiunt.* t.19. *Affectiones hujus amicitiæ sunt; inter paucos consistere, Raram & difficilem esse, firmam & stabilem, utilem & jucundam esse, Amici enim honesti ad res pulcherrimas gerendas sibi sunt utiles, & virtute nihil utilius aut jucundius est.* Cicer. 3. offic. §. 17. 18. seq. *Perfectam esse & absolutè,* partim, *quia inter verè bonos est, qui moraliter sunt perfecti: partim quia à perfectâ causâ, virtute, proficiscitur: & comparatè, quia cæteris amicitiæ speciebus per-*

bus perfectior est, nam & utilitatem, & jucunditatem, & sic omnia amabilia includit, quod reliquæ non faciunt. Multa horum ex t. 15.16. *constant. Exempla hujus amicitiæ sunt Scipio & Lælius, David & Ionathan, Theseus & Pirithous, Achilles & Patroclus, Damon & Pythias, &c. Plura* Zwingerus vol. 20. l. 1. *habet.*

21. Secundaria & imperfecta amicitia est benevolentia amicorum *ex amabilis secundarij cognitione exurgēs, ad utilem vel jucundam vitæ conjunctionem deducens. Hæc minus principale analogatum in speciebus amicitiæ est, quæ talis nominatur per similitudinem & attributionem ad perfectā amicitiam, partim ob mutuum amorem manifestum, qui in omni amicitiâ est, etsi inæquali gradu: partim ob objectum amabile, quod amorem excitare potest, quod similiter in omni amicitiâ est. Dicitur benevolentia* amicorum, *non præcisè proborum; quia indifferenter & moraliter probi & improbi amicitias has inter se colere possunt. Fundamentum n. harum amicitiarum non est honestas & virtus, sed aliud aliquod incitativum, utile vel jucundum.* Ex amabilis secundarii *cognitione exurgens. Amabile objectum in hac amicitiâ non est virtus, quæ summè & internè ex suâ propriâ naturâ est expetibilis,* t. 20. *Sed externum aliquod appetibile, quod non vi intimæ naturæ appetitum stimulat, sed vi externi cujusdam naturæ additi. Tale objectum amore concupiscentiæ amari solet, ut vinum ob utilitatem, chorea & lusus ob iucunditatem,* t. 7. *Tale objectum est hic vel utile, vel jucūdum.* Utile, *quod ob usum expetitur.* Iucundum, *quod ob voluptatem, quam ex usu ejus experimur. Vnde duplex amicitia secundaria: utilis & jucunda.* Utilis, *quæ commodi amore constituitur. Vt cum senes avari omnia ad quæstum referunt, & lucri gratiâ conversationem cum aliquo expetunt. Potest subdi-*

subdividi in legalem & moralem s. consuetudinariam. Legalis est, ubi officiorum aut beneficiorum compensatio ex pacto & cōpromisso fit. Estq; vel mercatoria & rigidior, in quâ cōpensatio statim fit de manu in manum, ut inter merces cōmutātes, ementes & vendentes, mercenarios & solutores. Hæc infima & penè sordida amicitiæ est compensatio: vel officiaria & laxior, cum compensatio sine pacto fit, & vel alterius fidei permittitur, vel benevolentiâ quadam aut necessitate in futurum tempus rejicitur. Ut cum officium præstamus aut merces offerimus, pretio non condicto, & solutione in futurum dilatâ. Hæc inter magis officiosos locum habet. Consuetudinaria est, ubi compensatio ex amici arbitrio & benevolentiâ secundū communem morem à naturali æquitate præscriptū præstatur. Opponitur legali, nam hoc determinatum & certum quid est: consuetudinarium indeterminatum, & à naturali æquitate vel arbitrio alterius demùm determinandum. Quomodo jus scriptum & consuetudinarium contradistingui solent. Plerūq; querelis obnoxia est, communiter enim plura expectantur, quàm dantur. Quî præcavenda eæ, ap. Kekerm. l. 3. Eth. c. 7. vide. Jucunda amicitia est, quæ delectationis amore constituitur. Hæc in adolescentibus invenitur, qui potissimum jucūditate suâ omnia metiūtur, & in amicitiâ instabiles sunt ob affectuum instabilitatem, & voluptatis lubricitatem. Item aulicis, Comœdis, saltatoribus, heluonibus, bibonibus, aliisq;, qui voluptates sequuntur. De his amicitiæ speciebus dici solet: Amicitia studiosorum est de honesto, mercatorum de utili, aulicorum de jucundo. Exempla ap. Zwing. c. l. vide. Solent in homogeneas & heterogeneas hæ posteriores dividi, de quo Keck. c. l. vide. Utra harum præstantior, utilis, an jucunda, quæri solet? Iucunda præferri videtur, liberaliùs enim appeti ab homine posse videtur jucundum, quàm lucrum,

cujus

cujus appetitus sordidior est. Et virtute praeditus voluptatem appetere potest sine lucro, ut maneat vir bonus: lucrum appetere non potest, quin evadat sordidus. Ad quam amicitiæ speciem amicitia eorundem periculorum aut peregrinãtium referri queat, *etiam hic quaeratur? Amicitia periculorũ, quâ praecisè pericula eorumq́; socij attenduntur, ad jucundam referri potest, suave enim est, socios habuisse malorum: quâ virtutis amor simul attenditur, cum illâ nos adjutum iri speramus, ad honestam referri potest. Peregrinantium utile & jucundum respicere potest. Vtile, quà alter alterum sibi usui futurum sperat: jucundum, quâ suave est, itineris tædium socio & commilitone levare.*

22. Ex subjectis *& statibus amicitia* vel *est spiritualis* vel *civilis. Spiritualis, quae spirituali modo, & ad finem spiritualem colitur. Estq́;* vel *hominum cum DEo,* V. t.4. Vel *hominũ inter se unâ fide, charitate & spirituali sanctorũ cõmunione junctorum. Haec Theologica est, non moralis & Ethica:* vel *S. Angelorum inter se virtute spirituali & angelicâ unitorum:* vel *electorum in hâc vitâ, & beatarum animarum in futurâ: Sic pij hujus vitae conservi & fratres animarum beatarum dicuntur.* Apoc. 6. v. 11. *Haec omnia ad Theologiam pertinent. Inter Diabolos non amicitia, sed factio & conjuratio est.* Civilis, *quae inter civilia subjecta, & ad finem civilem usurpatur. Estq́;* vel *aequalis,* vel *inaequalis. Æqualis, quae inter personas aequales colitur. Vt qui sunt eodem officio, dignitate, moribus, aetate, donis, &c. Sic duo Senatores, Collegae, servi, amicitiam inter se habent.* Inæqualis, *quae inter inaequales. Hi* vel *aetate inaequales, ut inter juvenem & senem,* V. t. 12. *patrem* & *filium, praeceptorem & discipulum:* vel *dignitate, ut herũ & servum, Magistratum & subditum. Haec* vel *est privata,* vel *publica.* Privata, *quae inter homines privatam vitam agentes*

gentes est. Estq; vel *consuetudinaria, quæ electione per consuetudinem & consociationem conciliatur:* vel *consanguinea, quæ sanguinis propinquitate paratur. Quæ* vel *patria, quæ liberorum à parentibus dependentiâ nititur, ut inter parentes & liberos:* vel *fraterna, quæ unione in parentum identitate cõsistit:* vel *cognatiua, quæ sanguinis ab unâ radice manantis cõjunctione:* vel *connubialis, quæ ex matrimonio dependet.* Hæc *vel conjugalis, quæ conjugij societate nititur, ut inter maritum & uxorem. Huic* an contrauеniat, vxorem verberibus emendare, *quæri solet? Leges civiles leviter uxorem immorigeram verberare concedunt, ut allegat* Melander T.1. jocos. c. 499. Olorinus p. 2. Ethogr. p. 116. seq. & p. 4. q. 12. *Satius est, alio modo corrigere, & cogitare: Laudabile nil est, fœmineâ in pugnâ, nec habet victoria laudem. Tollendum est vitium uxoris, aut ferendum. Socrates ex jurgijs Xãtippes se patientiam discere ajebat, ut foris eam meliùs exerceret.* Laërt. in vit. ei. *Bernhardi Syluestri dictum fuit: Mulierem malam citiùs risu, quàm baculo emendabis. Conf.* Co. â Lapid. in c. 5. Ephes. v. 33. vel *affinis, quæ affinitatis societate nititur, ut inter affines ex nuptiarum societate descendentes.* Publica *est, quæ inter personas publicas colitur. Estq;* vel *Ecclesiastica, quæ inter Concionatores & auditores:* vel *Politica, quæ inter imperantes & subditos: Eaq;* vel *sagata, ut inter duces & milites:* vel *togata, ut inter Cives & Senatores.* Ex gradibus *amicitia* vel *intensa* vel *remissa esse potest.* Intensa, *ubi amor & benevolentia ingens est, ut inter Lælium & Scipionem, Dauidem & Ionathanem.* Remissa, *ubi languida illa. Vt inter hostes conciliatos, quibus cum cautione aliquâ fidendum.* V. Sirac. 12. v. 10. *Raró enim suspicio inimicitiæ per conciliationem tollitur: nec facilè propagata odiorum sementis stirps interit. Sed ut gratiæ in odium deflexus facilis est: Ita odij ad gratiam difficilis est transitus.*

Vt ex

Vt ex Fazello *loquitur* Camerar C. I. c. 92. *Vbi plura hac de re.*

23. *Ita* absolutè *Amicitia visa.* Respectivè *cum cognatis, diversis & oppositis videnda.* Cognata *amicitiæ Civilis omnes spirituales sunt, de quib. t. 22. Item amicitia Christi ut capitis, ad Ecclesiam, ut corpus.* Ioh 15. v. 14. 15. *Omnes amicitiæ Oeconomicæ & consanguinitates, cognitiones, affinitates, amores, societates Politicæ & similia.* Diversa *ejus omnia hæc memorata sunt, quà inter ea & amicitiam moralem certa discrepantia intercurrit. Sic in amicitiâ* spirituali *inter DEum, angelos, separatas animas, & homines ingens naturarum est diversitas, quanta inter Naturam finitam & infinitam, corpoream & spiritualem intercurrit. Et amicitia Ethica virtutem pro fundamento in utroq; amico agnoscit, sed in nobis DEVS non invenit virtutes, sed efficit.* Angeli *boni virtutis exercitio longè nobis sunt superiores, nunquam ab eâ deflectunt, quæ in nobis sunt seciùs.* Beatæ animæ *in cœlis jam in metâ & termino sunt: nos in viâ & itinere. Illæ coronam habent, nos pro eâ certamus. Illæ perfectæ: Nos perfectis sociari desideramus, ut tūm sociati perfectam amicitiam colamus.* In amicitiâ Christi *& Ecclesiæ etiam naturarum est diversitas. Christus homo-Deus est: Ecclesia ex hominibus meris cōstat. In illo virtus est eminentissima, ut in principio & radice, è qua emanat in Ecclesiam; In hac languida, ut in recipiēte: nec Christus hic virtutes invenit, sed spirituali influxu facit.* Ioh. 15. v. 4. Amicitiæ Oeconomicæ à *morali differunt, quòd illæ Naturâ & sanguine nitātur, unde ortū habēt: hæc electione & cōciliatione voluntariè cōparatur. Illæ virtutū similitudinē non semper habent, sed quandoq; inter dispares, & moraliter validos inimicos sunt, sine actuali cognatorū benevolētiâ, quomodo cōsanguineorū odia Cainica dici solent,* v. Camerar. C. I. c. 32.

c.32. *Hæc virtutum æqualitatem inprimis postulat, & benevolentiã mutuã, actu exercitã.* t.7. Societates politicæ *á morali amicitiâ differunt, quòd illæ in externâ sub vnâ Republ. unione consistant, sine amore mutuo, conversatione, benevolentiâ actuali esse queant, maximè utilitatem a. jucunditatem attendant: Hæc internam voluntatum consensionem, virtutes, amorem, benevolentiam actualem requirat.* Amores *ab amicitiâ differunt, quòd illi etiam fœdi, vagi & inhonesti esse queant, sine virtute: Hæc ex honesto & cum virtute sit. Amor non mutuus esse potest: amicitia amorem mutuum requirit,* t.10. *Amor latiùs funditur amicitiâ. Qui amicus est, amat. Nõ contrà, qui amat, statim amicus. Amicitia semper prodest: amor etiam aliquando nocet.* Senec. ep. 35. *Amor se habet ut actus quidam voluntatis in objectum amatum latus: Amicitia ut habitus ex amore inter duos confirmato ortus.* Arist. 8. Nicom. c. 5. Ab affabilitate *differt, quia hæc etiam inter ignotos esse potest, amicitia tantùm inter notos: Illa sine benevolentiâ, communione, & beneficentiâ consistit; amicitia hæc omnia requirit.*

24. Opposita *amicitiæ Civilis sunt* vel *cõtraria,* vel *privativa.* Cõtraria *sunt omnes res amicitiæ aduersantes. Suntq́* vel *primariæ & directæ,* vel *secundariæ & indirectæ.* Primariæ, *quæ directè naturã Amicitiæ dissoluunt. Vt inæqualitas morum, amoris, studij, &c. Cum alter quidem amat, non a. sincerè redamatur, aut non pari gradu, aut subdolè, ut & insidijs petatur. Sic apud Diogenem quidam philosophari volens cum pernam domum deferre jussus esset, renuit & abscessit. Cui postea Diogenes occurrens, Vide inquit, tuam meamq́ amicitiam* σαπέρδης διέλυσεν. Laert. l. 6. in Diog. *Specialiter hæc inæqualitas per singulas amicitiæ species spectari potest.* In vtili & jucundâ *occurrit inæqualitas retributionis, cum non*

mutua & par voluptatis a. cõmodi est fruitio, unde querela & jurgia oriri solent. Occurri hic debet proportionali æqualitate retributionis, quâ beneficium ab amico acceptum pari gradu a. etiam majore utilitate ac jucunditate penſetur. Si ex pacto cõdictum est præmium, ſoluatur, ne querelis locus aperiatur. In honeſtâ *eſt inæqualitas virtutis, Cum alter virtutem tollit aut imminuit, quam alter promotam cupit, & in quâ exercendâ mutuus conſenſus vigere debet. Sic cum Vir bonus in vitioſum degenerat, & reſipiscentiã abnuit. Hic illud Biantis obſervandũ: Ama tanquã oſurus.* v. t.16. *Hic amicitiæ diſſuendæ magis, quàm diſcindẽdæ ſunt.* Cic. Læl. § 76. *Rarò ſanè am: honeſtæ diſſolvitur, quia conſtans habet fundamentũ, virtutẽ: quandoq; tamẽ diſſolvi poteſt, quia homines in virtute ſumus, non dij aut angeli. Veteres, cũ amicitias & jꝰ hoſpitij diſſolvebant, teſſeras, amicitiæ indices, frangebant.* Camer. C.1.c.91. *Aut ſodalitati & hoſpitio renuntiari curabant, ac domo interdicebant. Sic Germanicus Piſoni, Criſpinus Badio, Amaſis Polycratis amicitiæ renunciârunt.* Alex. ab Alex. l.5. c.3. Indirectæ, *quæ conſequẽter amicitiã diſſolvunt. Hæ vel naturales ſunt, ut cæcitas, ſurdities, furor, amentia, inſania, melãcholia: vel morales. Hæ* vel *indifferẽtes moraliter ſunt, ut eminẽtia ſtatꝰ, dignitatis variatio, iter longũ & diſtãtia locorũ, diuturna abſentia:* vel *malæ, ut ambitio, & ſuperbia, quæ facilè amicitiæ æqualitatẽ tollit. Unde venenum amicitiæ dicitur. Et proverbium in ſuperbos quadrat:* Mons monti non miſcetur. *Diſsimulatio, quæ ſinceritatem ejus tollit: Adulatio & aſſentatio, quâ nulla in amicitiâ peſtis major eſt.* Cic. Læl. §. 91. *Contentio & rixandi ſtudiũ, quod unanimitatem ejus tollit. Querelæ, quæ jucunditatẽ amicitiæ minuunt. Undè præcipuè vitãdi inter amicos triſtes, & omnia deplorantes, quibus nulla non cauſa in querelas placet. Etſi illis conſtet fides & benevolentia: tranquillitati tamen inimicus eſt comes perturbatus & omnia gemens.* Se-

nec d. tranq. c. 7. *Criminatio & vituperium, de quo* Isocrates Ἀρχὴ τῆς φιλίας ἔπαινος, ἔχθρας δὲ ψόγος. *Et* Cicer. §. 65. Læl. *monet, ne amicus vel criminibus inferendis delectetur, vel credat illatis. Debent enim amici inter se certare officijs, & quàm plurimis se afficere. At his vehementer criminationes adversantur. Suspicio, quæ intimum veræ amicitiæ impedimentum. Virum bonum non solùm oblatas criminationes depellere, sed ne ipsum quidẽ suspiciosum esse decet, & semper aliquid ab alio esse violatum existimantem.* Cic: §. 65. *Et qui diuturno tractu mores & studia explorârunt, quod in verâ amicitiâ faciendum, suspiciones non facilè admittent, Cognitos enim mutuò habent animos & mores. Mentiendi libido & nimium obsequium, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit. Vbi maxima culpa in eo, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur.* Id. §. 89. *Taciturnitas nimia, conversationis intermissio, aut in contrarium mutatio, cum non solùm non conversamur cum aliquo, sed & odisse incipimus.* Privativa opposita *amicitiæ sunt, quæ medium competentiæ, quod amicitia servat, privant, & ad extrema deflectere faciũt. Suntq́; ut in virtutibus, excessus & defectus,* πολυφιλία & ἀφιλία. *Excessus est nimium amicitiæ studium, cum passim obuij aut nimis multi in amicos recipiuntur. Hic cogitetur: benè probandos, quos amicos habere cogites: Multosq́; salis modios exedendos, priusquàm eligas.* Cic. §. 97. Læl. *Possunt nõ assumi, si benè judices: ægrè reprobari, quos malè admiseris. Et cum nimis diffusa est in plures amicitia, distrahuntur officia ejus, quæ contraxisse optimum & tutissimũ est.* V. t. II. 12. *Iuvenes huc nimis propendent, qui conversationes nimis amãt, & oblectationes sine modo arripiunt.* Ἀφιλία vel *apparens est, ut in quibusdam sapientibus, qui nullâ re se indigere, sed ad omnia sibi sufficere ajũt, ut* Stilpon, Chrysippus, Stoici, *&c. quo-*

&c. quorum sensum explicat & tuetur Seneca ep: 9. *Quòd sapiens ita se sit contentus, non quòd amicum nolit habere, sed quòd possit carere, amissum æquè ferre, & in potestate habeat, reparare: Non quòd eo egeat ad beatè viuendum, sed quòd illo, ut multis aliis, ad viuendum opus habeat:* Vel *realis, cum reipsâ insuper habentur amici. Hoc* aut *tantùm negligendo amicitias fit, ut in Timone Atheniensi fuit, quem* μισάνθρωπον *dixit Lucianus: & cum Apemantus similis ei apud illum cœnaret, pulcherrimumq; hoc conuivium diceret, melius fore respondit, si ipse Apemantus abesset.* Erasm. l. 5. apo. §. 10. *Huc & Eremitæ, Monachi & Enthusiastæ pertinent, qui homines fugientes, in eremos & claustra se abdunt, ibiq; solitarii vitam agunt. Exempla apud* Zwinger. V. 13. l. 1. *vide. Senes huc procliues sunt ob frigiditatem naturæ, solitudinis & tristitiæ amorem, ac frequentes objurgationes, quib. alios incessunt:* Aut *simùl amicitias in inimicitias, amores in odia, vnitates in jurgia, & honestatis exercitia in vitiositatis conuertendo. Quod faciunt, qui juuant in vitiis, & homines destruunt moraliter, non construunt, nocent, non promouent: Et interitum conciliant, cui succurrunt. Huc inimici, osores, hostes, &c. pertinent. Exempla* ap. Zwinger: vol. 20. l. 3. *quæres. Hæc etiã de Amicitiâ Vniversoq; moralis Philosophiæ Cursu per theses disputata sufficiant.*

Sedenti in throno, DEO nostro, & agno, laus & gloria, honor & fortitudo in secula, Amen.

FINIS DECADIS TERTIÆ Miscellaneorum.

INDEX
Præcipuarum rerum in decade hac tertiâ tractatarum.

Chorea

Scriptu-

FINIS.